

V 9
7070





Vg
7010

11874

ΕΠΟΨΙΣ ΣΥ-

QK. 218. 23. III, 874
νοψεος Mylianæ de

Comœdia Misnica.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA



HEIDELBERGÆ,

ANNO

MDCCXXXIII.





1040 .

EPIGRAMMA AD MYLIVM DE
COMOEDIA IPSIVS MISNICA.

*DVM Suevicis in Misnia Comœdias,
Agi videmus histrionibus, quot heu
Turca interim tristes mouet Tragœdias.
In sinibus Germania? dum plauditis
Vos Flacciana factio, interim gemit
Gens Christiana pressa barbaro iugo.
Sed mira res: par est, Myli, Catastrophe
Et hic & illic actione dispari.
Vos ludibundi Ecclesias discerpitis,
Iratu ille contrucidat ensibus:
Vim corpori infert ille, vos vim mentibus:
Quod carcer est vobis, id illi acinaces:
Vobis quod exulium est, id illi seruitus.
Pars vtra sit crudelior nondum liquet.*

AL B.

3

Epopfis Synopseos Mylianae de Comœdia Misnica.

Sic quod gratulemur Academiais Witebergensi & Ienensi, tantos iam alentibus viros, ut, quicquid à sublimi & subtili eorum eruditione proficiscitur, peculiare scholasticas requirat. Vidimus nuper orationem elegantissimam Huberi breuibus notis illustratam: Iam idem in Myliana synopsi tentandum cum aliquo ut speramus iuuentutis studiosæ fructu. Ac ad inscriptionem quod attinet, nemo sciret hætenus Comœdiam fuisse actam in Misnia, nisi Mylius ipse scriberet, & quidem his verbis *Comœdia Misnica synopsis*. In hac procul dubio histrio primarum partium ipse fuit, nisi fortasse Mirus has sibi vèdicet. Ex ipsa inscriptione patet, quam seriò hi Theologi res diuinas agant. Audite studiosi omnium Germaniæ Academiarum, audite præclaram commendationem earum actionum, quæ in religionis negotio sanctissimo & grauissimo non sine maximis impensis & institutæ & absolutæ fuere, Comœdiam appellat: Plautinamne an Terentianam dubito. Sed veramcunque intelligat, certo scio Mylium in ea fuisse vel Dauum, vel Syrum, vel Phormionem, vel Chrysalum, vel Pseudolum. Quidam ex amicis facere me monuit σφάλμα in inscriptione esse τυπογραφικόν, & pro Comœdiæ Comœdiæ esse scribendum, quod alluderet, credo, ad sumtus epularum, quas opiparè structas fuisse perhibet omnibus in locis, ad quæ visitatores cum equis curribusq; Apostolico nimirum comitatu, accesserunt.

A ij

Vociferabitur hic exorcista & grauer conqueretur de falsa interpretatione verborum suorum quibus demonstratur non à Flacianis sed à Calvinianis Comœdiæ actione institutam. Non multum refert Myli quid tu dicas. Nos ad ea attendimus, quæ tibi dicenda fuerint. Quid simile habent Comœdiæ Calvinianorum actiones? Nihil ab illis aliud quæsitum quàm ut reliquæ Idololatriæ Pontificiæ exterminarentur, ex quibus principem locum tenent exorcismus & oralis corporis Christi manducatio, & huius filia matre ipsa deformior, Ubiquitas. Horum absurdissimorum dogmatum ex verbo Dei petita refutatio si tibi Comœdia est, profanior histrio es, quam vllus Æsopus. Examina iam vestras actiones, circumcurfationes, computationes, cœnas pontificales, iocos, sales, scommata in Calvinianos iacta, non vnam sed plures Comœdias à vobis actas esse fatebere ac te tacente ipsa oratio satis comica probat. Sed redeo eo vnde digressus sum. In proœmio Synopsos istius rationes affert Mylius ob quas rarius legat. *Prima est Ecclesia Vitebergensis in stauratio, cui quinque: altera visitatio Misnica, cui octonos (dixerim ego cum Prisciano octo) menses tribuit: tertia compositio rerum Ecclesiasticarum in Comitatu Schwarzeburgico, cui reliqui dies, ut compleantur menses 14 assignandi.* Quid autem hæc verba sibi velint, quibus indicat se ex abscondito quasi prorepere, diuinatione puto opus est. Qui enim in clarissima luce totius Misniæ per octo menses versatus est, qui fieret ut ille ex abscondito prorepere? nisi fortasse currum tectum, ut quidam ex familiaribus suspicabatur, intelligi voluit, in quo sedens Mylius ab omnibus conspici non potuerit. Est autem mirifica periodus de cuius sensu

adhuc

adhuc quæro. Quo rarius, inquit, vos compellavi eo indecentius esse arbitror operarum scholasticarum telam denuo resumere. Pro (indecentius) ego posuissem magis necessarium, vel magis decorum. Quo enim rarius aliquis legit, eo magis necessarium est vel eo magis decet & conuenit redire eum ad operas. Nam quicquid indecorum est à nullo agi debet, multò minus à Theologo.

Alteram periodum exorditur à *quin imò*, quæ uoculæ quam bellè connectantur cum superioribus iudicent Rhetores. Est autem illa altera exordij pars, qua dicit oratiunculam aliquam habendam ante, quam ad operas redeat. Ratio prima ducta est ab officio, altera ex dignitate cathedræ, tertia ab honore totius cœtus scholastici. Finem orationis ostendit *κατ' ἀπορίην τῶν θεῶν*, non scilicet esse eloquentiæ ostentationem, sed testificationem gaudij ex reditu suo & studiosorum conspectu orti. Quod autem longo tempore intermissum dicit dicendi usum, in eo, nisi ego fallor, exorcista fallitur. Quo enim tempore Sueuo isti garriendi occasio defuit? Et non verisimile est in diuturna illa uisitatione publicas declamationes aduersus Calvinianos non fuisse habitas. Subiungit deinde gratiarum actionē & precatiunculam. In gratiarum actione cum subito offerrentur uerba illa (*gustauerimus, hauserimus*) initio existimaui Myli, te de epulis loqui & conuiujs uestræ lautissimæ & carissimæ (quippe quæ octoginta sex millibus talerorum æstimeretur) uisitationis: sed postea integra periodo percepta animaduerti te uerba facere de fonte gratiæ cœlestis: quem certè hauritis uberrimum, si bona huius uitæ spectetis: si illius æternæ, valdè metuo ne exare-

6
scat ille vobis citius, quàm fortasse putatis.

His præmissis quærit argumentum orationis. Prodit autem se forex suo ipsius indicio. Apertè fateatur se voluisse illud potissimum argumentum eligere, quod ad aures iuventutis gratum accideret: id quod demagogis omnibus familiare est. Cum enim sciant natura omnes homines delectari criminatio- nibus, & imprimis, præstantium virorum, cupidissi- mè ad eiusmodi *ποθέσεις* deferuntur. Quid igitur opus fuit diuinatione? aut labore à te suscepto in ri- mis cordium explorandis, vt bellissima tua phrasi vtar? Hanc explorationem illustras pulcerrimo simi- li sumto à physiognomis. Sed notent hic diligentio- res egregiam studiosorum Ienensium laudem in di- uinatione illa expressam. Eo tempore quo debebant se præparare ad meditationem passionis Dominicæ, *Comica illi teste Mylio, tractant, ludos instituunt, scenas adornant.* Has ineptias profanas Theologi probant: quorum officium erat iuventutem eo præsertim tempore à rebus ludicris ad res serias abstrahere, à fa- bulis ad sacra Biblia. Demagogus igitur Mylius cum videret iuventutem esse occupatam in Dramatum actionibus, comicum & ipse, suæ functionis memor, argumentum sibi sumendum statuit *de fabula Misni- ca, quam satanas, vt ipse loquitur, in Misnia ludere cœperit, Tragicam futuram si ex voto Calvinianis res cessisset.* Hic gradum siste lector & nonnulla diligentius examina. Satanas cum suas vel Tragœdias vel Comœdias agit, hoc spectat, vt quando pater mendacij est, veritatem cælestem vel vi opprimat, vel fraude corrumpat, vel si neutro proficit, opiniones profanas hominum ani- mis inserat. In fabula Concordiæ satanas per histrio- nes

nes suos & imprimis per Sueticum Roscium quid egerit admonitio Neostadiana perspicuè docet, ad quam te remitto. Lege per otium tractatum de falsis assertionibus, itemq; cum, qui est de modo agendi, & mira inuenies ac facillè animaduertes idem in reductione, quod in introductione Pandoræ, fuisse obseruatum. Porro quia iam de Tragœdiis & Comœdiis loquimur, in mentem mihi venit cuiusdam Ioannis Brumeri Hoij, qui se Gymnasiarcham Cauffbeirensensem vocat. Hic, vt catalogus librorum recens editorum indicat, ex Actis Apostolicis Amphitruonem fecit, id est, Tragicocomædiam, vt ipse ex Plauto loquitur. Si à Calvinianis tale aliquid fieret, quot libri euolarent impietatis eos & profanitatis accusantes? & quidem meritò. Iam cum Sueuici histriones sanctissimum Dei verbum, cui neq; addendum neq; detrahendum quicquam est, etiam in fabulas transmutent, quas nunquam sine risu & multorum offensione agi notum est, nemo reperitur vel in vicinia aliàs curiosa inspectrice, qui leuitatem illam Christianis hominibus indignam notet aut reprehēdat. Verfamur adhuc in exordio, sub cuius finem attentionem mouet, cum dicit *se maximas res persequi*. Benevolentiam precari opus non erat propter causam supra positam: multò minus ieiunum excusare stylum, quem futurum fuisse rationes testātur. Sequitur narratio, quam exorditur à laudibus Augusti Electoris, inter quas præcipuam numerat formulæ Concordiæ introductionē, cuius fabrum, deprehensis eius fraudibus, notū est vel pueris, turpiter & propemodum cum ignominia ab eodem Electore ex Misnia fuisse dimissum, & cum sua Vbiquitate in Sueuiam remis-

sum. Hoc Mylius vafre dissimulat & mendacissime iactitat *Ecclesiam nunquam pacatiorem fuisse*, quæ si unquam, certe his nostris temporibus & fuit & est perturbatissima. Augustani senatores, quibus ingenium Mylij notum ridebunt. Quàm enim falsò dicuntur hæc? Dissipatum fuisse corpus Euangelicæ Ecclesiæ ante concordia introductionē. Quantas enim confusiones secum illa ipsa formula traxerit, in quot partes Ecclesiæ antea coniunctissimæ discesserint, cui, excepto Mylio, ignotum? Illustrissimum Electorem Augustum, laudatissimæ memoriæ principem *Iosuanam* vocat: Selneccerum in quadam concione funebri Mosen, parum prudenter & decorè coniungens simiam cum leone, maledicentissimum quondam hominem cum duce seuerissimo & grauissimo. Laudibus Augusti absolutis respondet ei, quod obiici poterat de authoritate & potentia humana, quasi Lutherani tantum illa freti sint. Respondet autem more Flacianis vsitatissimo, petitione nimirum principij: *Concordia, inquit, formula non nititur humana auctoritate, quia nititur diuino veritatis fundamēto*. Quod enim controuersum est, id pro ratione ponit, vt taceam antecedenti refragari rem ipsam. Adime illis hominibus Lutherum, & tota natio corruet. Adiuncta & alia responsio sumta ab experientia. Vis argumenti hæc est. *Concordia formula est vera*, quia experientia monstrat illam iam profligato corpore doctrinæ in Saxoniam reduci. O rationes inuictas. Pontificia religio est vera, quia multis in locis Germaniæ postliminio redit.

Post respōsionem deplorat miserum Ecclesiæ statum, qui secutus fuerit obitum Illustrissimi Electoris

ris

ris Augusti, & duplicis ex Augustino persecutionis mentionem facit, nulla alia de causa nisi vt miseris exulibus insultet. Quis enim proscriptiones, tormenta, exilia, cædes, vsurpauit? Nōne, exorcista, vestra factio? De vestra humanitate in tractandis captiuis mira narrāt Salmuthus, Pierius, Gundermannus & alij. De fraudibus præceptoris tui lege modum agendi in admonitione Neostadiana & refuta si potes: sed tam poteris quàm Augustanum scriptum contra te editum. Persecutionis illius duplicis autores duos ait fuisse Sinones: *quorum alter subierit iudicium Domini, alterum adhuc maneat iusta Nemesis.* Si diuinandi scientia æquè pollerem atq; Mylius: alterum coniectarem esse Andream Pauli: alterum Crellium. Illum vestræ sæuitiæ mors perquam opportuna subtraxit: hunc accusatum perhibent nondum conuictum. *Ceterum Sinonias illas artes ait partim in rebus partim in personis fuisse deprehensas: quod his duobus adminiculis religio administratur.* De remotione eorum, qui multum præstare potuerint vel in Ecclesia, vel in aula, respondebunt alij, quibus *lumina illa Misnia, stupenda eruditionis & prudentia,* notiora sunt quàm mihi: vt & *de Corycais & insidiosis dictorum factorumq; obseruationibus.* Hoc valdè ridiculum est, conuitia pastorum Misnicorum fermè diabolica, calumnias atrocissimas, infectationes horribiles appellari *preces & supplicationes, admonitiones, excusationes.* Reliqua quæ adduntur de litteris fictitiis suspicor esse ficta. Nam Mylio in omnibus fidem habere quod periculosum sit docuerunt nos Augustani: & de hoc ipso proculdubio respondebit Ioannes Maior: à cuius ingenio lepido & faceto si quid in vos, Myli, profectum asperius, nos sanè non miramur, qui

B

scimus poëtam illum festiuum semper acerrimum
hostem Flacianorum fuisse.

Quæ subiungit de iudiciis studiosorum latis de
Theologis quibusdam, similiter puto esse vanissima,
vel Augustanis attestantibus. Quis enim nisi scurra
vel fatuus *Brentium* appellaret *asinum*, *Schnepsum indo-*
ctum? Cruciger si viueret valdè doleret se à te nomi-
nari. Lutherum nimis vehementem, & in mala causa
rigidum fuisse & turbasse Ecclesias mota controuer-
sia Sacramentaria nostri nunquam negarunt, imò pu-
blicè professi sunt.

Reliqua puerilia sunt & ab adolescentulis imperi-
tis fortè factitata, quæ licet exaggeres, Myli, quantum
potes, cordatiores tamē parum mouebis. Quis enim
credet à prudente aliquo hoc dictum, *secum Philippo*
malle in inferno quàm cum Luthero in cælis esse? Vox est ho-
minis impij & profani: quem nisi nominaueris te mē-
titum fuisse non tantum Augustani, sed etiam nos su-
spicabimur.

Valdè dolet homini, quod nonnulli prætulerint
Philippum Luthero: quasi in eo salus Ecclesię agatur.
Iudicia de hominibus sunt & debent esse libera: si ti-
bi non succenseo, quod præferas Lutherum, cur mi-
hi succenses quod præferam Philippum? Oratiūcula
est, vt ipse fateris, Comica, ergò de personis agis: qui-
bus tandem relictis ad res pergis, vt ex illis ostendas
Caluinianorum Sinonias artes.

In hoc genere tria sunt inquit, quibus probè rectèq; instru-
eta Ecclesia in negotio religionis plurimum potest proficere.
Primum est norma doctrinæ certa: secundum libertas mini-
sterij: Tertium si cum voce viua vox etiam muta ministrorū,
id est, scriptio consonet. Hæc tria sublata esse ait à Sacra-
mentariis,

mentariis, & probat argumentis apodicticis, quibus instructissimus est Mylius.

Sacramentarij exturbandam curarunt formulam Concordiæ, immenso sumtu & labore principis promulgatam. Ergò

Sustulerūt doctrinæ normam certam vel Cynosuram. Concordiæ formula quam certa norma sit doctrinæ evidentissimè declarat admonitio Neostadiana in monstracione falsarum assertionum & Antilogiarum, tot fermè errorum normam illam insimulās, quot florinos à stipendio tuo accisos fuisse dicis, sexcentos nimirum, qua summa pecuniæ quatuor vel quinque Calviniani coguntur esse contenti. Eandem normam qui materiam litis, vel potius seminarium appellarint, ex Chytræo si voles, cognoscere poteris. Cynosuram cur voces miror. Neque enim honorificum est operi tam augusto, quale tibi videtur, appellari id caudam canis. Primum igitur in rebus Calvinianorum peccatum hoc est, quod explodendam curarunt formulam Concordiæ: cum hoc coniungit, quod noluerint quicquam publicari antequam aula cognosceret, quid rei esset. Hoc ægerrime tulit superba illa factio, quæ se solam sapere censet, & iudicia politicorum ex alto quasi fastigio despicit, præsertim cum illi verba faciunt de moderatione, quam in insectandis aduersariis adhibendam esse monent.

Alterum peccatum est, *quod ori ministrorum frenum inicere, id est Spiritui sancto ipsi capistrum aptare non sunt veriti.* Os durum. Quod pontificij vsurpant in suis Idololatriis sancientis & confirmandis, idem Lutherani assumunt in sua animi acerbitate tegenda. Sic placuit Spiritui Sancto, q. verò Spiritus Sāctus super-

stitionum & blasphemiarum autor sit, quem spiritum
 veritatis & mansuetudinis esse scimus. Criminaris,
 Myli, mandatum illud de non conuitiando. Atqui
 hoc fuit Augusti, quem tu vnicè laudas & à filio tan-
 tum repetitum, ac olim, si rectè memini, à tuis Ienen-
 sibus & approbatum & commendatum. Vide quàm
 bellè tibi constes. Ita autem loqueris de hoc manda-
 to, vt facilè appareat proram vobis & puppim actio-
 num omnium esse ac fuisse *λοιδορίαν*. Porrò hoc per-
 quam lepidum, quod edictum illud pium cum equo
 Troiano confers, in cuius aluo, vt notum est vel pue-
 ris, latuerunt Græcorum duces præstâtissimi. Ita My-
 lius imprudens Calvinianos commendat, qui si simi-
 liter ludere vellent, nullo negotio ex Mylio Paridem
 facere possent, ex Symphonia illa discordi, vel For-
 mula formosa Helenam, quæ non Troia, sed veritate
 expugnata, non in Græciam, sed in Saxoniam à Sue-
 uis reducatur.

Qui religionis, vt Mylius loquitur, veritate prorsus pro-
ditæ sub quavis conditione cum gente Calviniana viuere post-
modum, & quiduis cum quouis docere ac sentire de religione
non erubuerint, ego quidem nescio. Physiognomia vte-
 rer si Witebergæ essem, nunc diuinandum. Puto au-
 tem à te intelligi, Myli, nonnullos ex professoribus, &
 imprimis eos, qui nuper adeo gratificaturi Baroni
 cuidam in perniciem, imò in pestem & mortem Cal-
 uinianorum poculum vini plenum impigrè ordine
 exiccarunt.

Nō defuisse ais monitores, qui dissuaserint admis-
 sionem mādati, & in his primo loco numeras Selne-
 cerum, Mosen tuum. De quo mortuo filebimus, neq;
 enim

enim pauca dici possunt, & multa sine dolore non possunt.

Habetis, inquit, protasin Comædia huius. Hic Mylius dispositionis suæ oblitus tertium reticet quod supra posuerat. Nempe cum voce viua vocem etiam mutam, (malim ego vitam) ministrorum consonare debere, nisi fortè breuiter perstrinxit cum dixit, nihil diuulgari potuisse nisi aula conscia. Festinauit credo ad *Πιττασιν*, quã exaggerat ex conuitiis in Lutheranos iactis. *Nil, inquit, nisi Flacianos, Vbiquitistas, Capernaitas, Eutychnianos, Semipapistas, Clamantes & similia crepare hominum istud genus poterat.* Flacianos vos esse, quis vnquam ex vestris negauit? Vbiquitistas vos esse, Capernaitas, Eutychnianos tam certum est, quàm certum est vos defendere omnipræsentiam corporis, manducationem eiusdem oralem (siue Hunij subtilem, siue Musculi crassam) proprietatum essentialium confusionē. Semipapistas vos nemo appellaret, nisi exorcismo & pelagianismo atq; artolatriæ pōtificiæ palā suffragaremini. Clamantes vos estis non in deserto, vt Ioānes, sed in pulcerrimis aulis, in gynæceis, in suggestis.

De Diaconi V Vitebergensis facto, qui ebrius vitrum cereuiciæ plenum in imaginem coniecerit Lutheri, multi affirmant rem aliter se habere ac Mylius narrat. Ego in medio factum relinquo. Petulantia illius improbitatem, si modo ab vllō vsurpata est, nemo bonus probat, vt neque illius, qui Philippū publicè in templo pro concione nebulonem appellauit: nisi fortè hoc atrocius & indignius, quod & à sobrio admissum est, & publicè in loco sacro.

Concordiæ librum quod nonnulli plenum errorum esse affirmarunt, ex lectione, vt verisimile est, Admonitio-

nis Neostadianæ: quod detestati subscriptiones à se ipsis factas, & apud Deum hanc culpam deprecari sunt: id maximo-
pere laudandum, non vituperandum censeo. Cur enim homo qui natus sit lapsum se esse neget? cur non peccati veniam imploret?

Augustanae Confessionis prototypon hæreseos insimulatum fuisse à Calvinianis ait. Prototypon illud quantum ego scio nostri sanè insimulare haud soliti fuere unquam hæreseos: si tamen erroris omnis vacuum fuisset, non tot opus foret emendationibus & correctionibus. Sed heus tu, Myli: Quid tandem causæ est cur tantoperè prouoces ad *πρωτότυπον* Augustanæ Confessionis: cū cōstet Ubiquitatē tuam, pro qua strenuè propugnas, in ea solidissimè refutari expositione Orthodoxæ doctrinæ de persona & duabus naturis in Christo. Respōdebis hoc à te fieri nō propter tertiū, sed propter 10. articulum? Sed hic, Myli, te parū iuuat nisi velis *σωσιώσει* salutem dicere, & ad *μετρίωσιν* concedere, cui articulus modo nominatus, si verba præcisè vrgeas magis patrocinator quàm illi. Hoc si cogitabas non opus erat Augusta cedere, in qua vrbe vtilem potuisses senatui operam nauare, erudiendo plebem sub specie panis & vini verum corpus & sanguinem à piis & impiis ore percipi. Ostende hanc Confessionem Iesuitis, probabunt & mirabūtur, quī fiat, vt acerrima oppugnatio Calendarij Romani tantum ex odio, vt præ te ferebas, pontificis suscepta, in exorcismi, operis operati, artolatriæ defensionem desinat, quorum conseruatio magis Curia Romanæ prodest, quàm Calendarij obseruatio.

Lutherum ante obitum pœnituisse suæ vehementiae in sacramentaria controuersia perperam vsurpatæ, tam

ta, tam notum & certum est, quàm constat Mylium multorum mendaciorum ab Augustano senatu conuictum esse.

Quis autem Mylio affirmanti credat *quenquam publicè dicere ausum fuisse, in Codice Iustiniano plenius & planius religionis Christiane doctrinam comprehensam esse, quàm in Augustana confessione?* Non pepercit Maiori, non Reneccero, non Salmutho: miror cur huic parcat. Res suspecta est. Sed nequid dissimulem, si Calvinianus ille Constitutionem Iustiniani de summa Trinitate & fide Catholica intellexit, vel edictum piissimi Imperatoris Iustiniani, fidei confessionem continens & refutationē hæresium quæ aduersantur Catholicæ Dei Ecclesiæ, non video cur culpari debeat. Fortasse dolet Mylio, quod in edicto illo cum alia ipsi aduersantia continentur, tum etiam hæc.

Si quis dicens vnā naturam Dei verbi incarnatam, non sic hoc intelligit, quod ex diuina natura & humana vnus Christus effectus est Consubstantialis Patri secundum Deitatem, & consubstantialis nobis idem ipse secundum humanitatem, sed quod Deitatis & Carnis Christi vna natura siue substantia effecta est, secundū Apollinarij & Eutychetis perfidiam, talis anathema sit.

Item hæc. Vna autoritas, & vna virtus siue potentia, & vna dignitas, & idem honor non in diuersis naturis sed in diuersis personis eiusdem substantiæ (*ὁμοίας*) dicitur, quod in sancta trinitate confitemur. Vnde & sancti patres anathematizauerunt eos, qui per autoritatem, aut virtutem, siue potentiam, aut dignitatem aut æqualitatem honoris dicunt Deum verbum vnum esse Christo.

De fi-

De figurata & tropica enunciatione, & Arianismi reductione, breui vt spero tibi respondebit Pierius quem nominare non audes, ne ruditatis tuæ præconem excites, perspectæ satis in colloquio nuper publicato, in quo tu, qui alioquin actitare Comœdias solitus es, planè fuisti *καὶ φὸν πρὸς ὡμῶν*, & cum semel aliquid proferres, idē dixisti quod Calvinistæ asserunt, nempe Christum in tota actione Cænæ præsentem esse.

Ad absolutum prædestinationis decretum, & reprobationis fatum quod attinet, remitto te Myli ad magistrum sententiarum, qui lib. 1. distinct. 40. dicit, prædestinauit eos, quos elegit, reliquos verò reprobauit. Item. Reprobauit quos voluit non propter futura merita quæ præuideret, ratione tamen rectissima, & à nostris sensibus remota. Vnde Ambrosius de vocatione gentium lib. 2. cap. 7. stupendum esse dicit, quod quales adoptat electio: tales reprobat abdicatio, & Augustinus causam huius occultam esse posse, iniustam esse non posse scribit ad Paulinum epist. 59.

Inauditas voces & Cerbereos latratus vester Huberus edit generalem remissionem peccatorum introducens, communem electis & reprobis. Edis & tu, qui veritatem corporis tollis, omni præsentiam illi tribuendo, & vt tecum ipse pugnes, rotundæ panis massulæ idem includendo, quodq; tristissimum est, ore (supernaturali tamen modo, tibi & Hunio solis noto) percipiendo.

Peccatum originis nostri non negant, etiam si fidelium infantes sanctos ratione fæderis esse dicunt. Etiã adulti appellantur sancti, cum æquè ac infantes peccatum originis secum circumferant.

Baptismi

Baptismi vim omnem atq; efficaciam eneruari à nobis falsissimum est. Qui enim baptismum aiūt esse sacramentum regenerationis, purgationis, initiationis, sanctificationis, obfignationis & incorporationis in Christum seruatorem, nequaquam baptismi efficaciam eleuant, etiamsi exorcismum non adhibent, cui tu patronus propemodum solus relictus absque Listhenio esset. Addis. *In rebus adiaphoris necessitatis laqueos iniici à Calvinianis conscientis hominum.* Multa dicis, sed pauca probas Myli. Ostende primum quid sint res adiaphorę: deinde demonstra quibus & à quibus laquei necessitatis iniecti sint & quo in loco. Sed demonstrabis credo tum, cum proferes viginti errores Pierij, quos in charta consignatos habes.

De iis, quæ sequuntur. *In verba atq; nutus ipsorum non illico iurantes exiliis atq; carcere multare:* De his inquã commentabuntur Peucerus, Pezelius, Cruciger, Pierius, Salmuthus, Gundermanus, multi alij contumeliis, probris, carcere, plagis, exiliis à vobis affecti. *Atq; in his omnibus rebus nihil moderatè inquit, nihil tranquillè.* De te & tuis loqueris Myli: ne quis dubitet, subiungis, *omnia pro imperio & pro libidine animi agere cœperunt.*

Digna sunt, inquis Myli, *memoria* (& verè, ut ego sentio, digna sunt) *illius viri verba,* quem tu tuo nomine appellas sycophantam. *Si βλακικῆς isti molesti tibi esse perrexerint, eijce illos.* Rationem addit optimam, *quod Ubiquitatem inthronizare conentur.* Cum enim Ubiquitas sit destructrix omnium fermè articulorum fidei, cur Ecclesiis præficiantur tam monstrosi dogmatis patroni? Eiusdem, addis, alterum fuit apophthegma, *Nunquam rectè successuras*

res, nisi veterani, & quibus priorum temporum constet memoria, è medio prius tollantur. De hoc apophthegmate dubito: quod si tale aliquid prolatum fuit, his verbis prolatum esse iudico, nunquam res successuras nisi veterani decesserint: quod à te inuidiosè mutatum vt crudelitatis insimules eos, quos odisti, quod sanè non miror cum idem feceritis in laudatissimo Electore Christiano.

Addis. Hoc nimirum quasiuerunt isti homines, vt non hominibus, non vsurerum præditis, sed brutis & mancipiis imperare velle viderentur. Vos estis Myli, qui ex hominibus pecudes & bruta facitis, dum omnem rationis vsu excluditis, neque ex verbo Dei secundum rationem nos argumentari permittitis. Redit ad suum exorcismum Mylius, his verbis: *Nulla posteritatem unquam capiet obliuio eius facti, quod de abrogando Exorcismo tentare in Ecclesia & vno ausu nimis insolenti tentare ausi fuerunt.* Non pudet hominem Exorcismi mentionem facere, quem constat ante complures annos etiam in ipsa Vbiquitatis metropoli esse abrogatum: quod ipsum si nescit, turpe, si dissimulat, malitiosum est.

Quæro autem hic à Domino Doctore, num infantes corporaliter obsessos esse dicat à Satana, an spiritualiter? Respondet, credo, spiritualiter, propter peccatum originale, cuius causa infantes obstructi sint regno Satanae. Sed quare non fecit hoc Christus publicanis & peccatoribus? & Apostoli omnibus quos baptizarunt, in peccatis vtique conceptos & natos? Respondeat Dominus Doctor, & breuiter.

Adducit testimonium cuiusdam Galli ita obscure perscriptum, vt ingenuè fatear me sensum illius non assequi.

assequi. Quid autem opus erat Gallo adducto, cum satis calumniatorum in Germania sit?

Sed pudet me plura addere de Ceremonia illa Idololatrica, quam, Myli, vt filiulam cum exosculeris, miror quibus rationibus motus Augusta aufugeris, cuius vrbs Senatus facilè tibi ab Episcopo Augustano tonsuram vel rasuram impetrare potuisset, quæ dignior mihi videris, quàm infantes exorcismo, cuius abrogationem tam dolenter deploras, vt non putem quenquam ex Iesuitis tam miserabiliter sua deflere peccata, imprimis Idololatriam & artolatriam. Duas fermè paginas complex querela illa de Exorcismo: qui si ad salutem necessarius est, necesse est florentissimas Ecclesias in ipsa Germania talibus adiurationibus non vtentes condemnes: sin non modo non necessarius sed etiam Idololatricus & impius, non tam stultitia tuæ defensionis ridenda, quàm profanitas detestanda est.

Nihil, inquit, Mylius, est in religione venerandum nihil in moribus concinnum, nihil in politia tum ciuili tum Ecclesiastica approbatum, quod isti homines temerare, conuellere, profanare excindere non laudi sibi duxerint. Hæc Mylius, qui more suo dicta probat. Religionem mutarunt Calviniani: quia psalmodias Dauidicas introduxerunt, & cum Lutheranis cantionibus coniunxerunt.

Religionem mutarunt Calviniani; quia nouam catechesin conscripserunt. Obiice idem Chytræo, Selneccero si viueret, innumerabilibus aliis: negabunt illi se religionem ideo mutasse.

Religionem mutarunt Calviniani, quia Biblia cum scholiis ediderunt. Pungis credo Osiandrum per Calui-

nianorum latus. Calvinianorum notationes tibi displicent, quia errorum vos conuincunt horribilium. Osiandricæ fortè delectant, quia facetæ sunt, & tales, quemadmodum demonstraui Pareus, quales interdum scurris excidunt, in quarum genere puto etiam comprehendi posse hæc tua, quibus asseris *totam latrinam stercoreum Calvinianorum infartam fuisse nouis bibliis*. Metaphora est valdè inamœna & olim à Cicero ne reprehensa: sed digna vestris naribus, quibus etiam illam relinquimus.

Narrationem repositam in cacumine, vt ipse loquitur, turris Lipsensis *mendacissimam* vocat. Exstat illa iam impressa. Verius omnia scripta ibi leguntur quàm Mylius de Augustanis scripsit. Testem appello senatum vtriusque vrbis amplissimum. Pungit hominem simplex & plana expositio eorum, quæ à Flacianis tentata in turbandis Ecclesiis. De veritate horum quo minus quis dubitet, eandem fabulam quam pridem Roscius vester, vos modò agitis, pluribus tamen adhibitis ex ordine etiam equestri personis, vt augustior & ornatior sit Comœdia.

His omnibus explicatis hypotyposin inserit miseri Ecclesiarum status in Misnia. In templis magnam vastitatem fuisse dicit. *Plurimi inquit, erant* (præsertim vt ego suspicor VVitebergæ) *qui anni integro decursu, multi qui plurium annorum spatio concionem sacram non audierant*. Fortassis in hospitiiis extra portam non procul ab arce, iis horis, quibus conciones habebantur, delituerant. Cum ego VVitebergæ essem, memini à studioso quodam curioso numerari ciues qui concioni interessent pomeridianæ, die quodam Dominico, & inueniri tantum quindecim. Nonnulli appellati

pellati de hac negligentia me audiente responderūt,
se hoc ideo facere vt locus sit studiosis.

Tantus tum erat ardor in ciuibus, quo tempore
Lutheranismus florebat ac ne suspicio quidem vlla
Caluinismi reperiēbatur. Laudare vult Mylius Wite-
bergenses & exquisitè vituperat. Vbi redierit, poculo
inaurato donabitur. Obiter autem hic moneo com-
pendiariam ad profanitatem viam esse (qua etiam
nonnulli in Palatinatu vtuntur) diuersitatem reli-
gionis prætere negligentia in audiendis concio-
nibus & vsurpandis sacramentis. Sic enim paulatim
in scitia corroboratur, & vitæ dissolutio confirmatur,
sensimque irrepit ea opinio, quæ valdè arrisit Epicu-
ro, ad *Stuporem* scilicet & tranquillitatem mentis nihil
equè conducere ac religionem omnem pedibus sub-
iectam obterere.

*Infantes inquit aliquibus in locis reperti sunt, qui aliquot
menses ætatis suæ affecuti, baptismi lauacro tincti nondum
fuerant.* Sed quorum culpa factum Myli, vt infantes
non baptissarentur? Ministrorum, inquit, qui exor-
cismo vti noluerunt. Atqui horum baptissare est non
exorcissare. Ite inquit filius Dei, docete & baptissa-
re omnes gentes, non exorcissate infantes.

Queritur de ministerij contemptu. Vetus querela
est. Sed contemptus illius causa maxima interdum in
ministris ipsis, qui ita viuunt, vt despici iure possint &
debeant. Cuius mores doctrinæ non respondent
eum ego pro nugatore habeo. Quid à vobis
ipsis in visitatione actum, recordari melius Potes,
quàm ego monere. Qui huc ventitant de hilari-
tate vestra iucunda admodum narrant. Quàm sæ-
pè audita illa ex Persa Plauti. Age circumfer vi-

num bibere, da vsque plenis cantharis : Iam diu factum est postquam bibimus, nimis diu sicci sumus. Fortè ex Sticho hæc.

Age tibicen quando bibisti refer ad labia tibias
Suffla celeriter tibi buccas. Item.

Benè nos, benè vos, malè Calvinianos, malè
Sacramentarios. Ignoscet iocis Mylius, quia cum
Comico comicè agere licet.

Queritur etiam de vastitate scholarum: cuius
causa in promptu. Quis enim ex Saxonia, quis ex Frã-
conia, quis ex Sueuia, quis ex Duringia filios suos
in illam Academiam mitteret, quam audiret, & à vo-
bis falsò persuasus crederet esse plenam doctoribus
& professoribus hæreticis?

De dissolutione & licentia optarim te tacuisse.
Sub aduentum vestrum quàm modesti & quieti fue-
rint ciues Lipsenses, Senatus credo testari poterit.
Si diligens inquisitio institueretur, quouis pignore
deposito contenderè deprehensum iri similem Au-
gustano dramati Comœdiam, cui modos fecerit non
Flaccus sed Flacianus aliquis vel exorcista, imprimis
trāsferendo ius vocādorū ministrorum à senatu ad
plebē. In aliis oppidis quanta rabies plebis conspecta?
Hoc est, Myli, quod vis. Restituto nimirum exor-
cismo aureum seculum rediisse putas & disciplinæ
sanctitatem in omnibus locis. O frontem insignem.

Contentum ministerij ridiculè probas ex appella-
tione canis cuiusdam *qui Pfaffus vocatus fuerit*. Pfaffus
credo ἀσπυρον est: neq; enim vel Germanicum, vel La-
tinum, vel Græcum, multò minus puto Italicum vel
Gallicum. Quam igitur maculam ministerio asper-
gat id, quod nihil significat? Sacrificos Idololatrias &
Artola-

Artolarras Germanicum Vulgus hoc nomine vnde-
 cunq; sanè sumto & corrupto indigerat, in quorum
 numero si Mylius est, per nos licet exoptulet cum
 eo, qui canem suum hac appellatione honorauerit.
 Addit nescio quas voces & facta hominum ignoto-
 rum quasi statim Calviniani sint, qui ridiculè de ve-
 stris ritibus loquantur & sentiant: ac non ante habue-
 rit Witeberga adolescentulos leues, ebriosos, petu-
 lantes, quàm Calviniani doctores eò venirent. *Scribit*
dixisse quendam ritum illum ad altare procumbentium &
patulo ore excipientium symbola non dissimilem sibi videri
cornicularum facto, quæ nidis adhuc adherentes cibum à
matre præbitum vestris exciperent. Locationes in re seria
 non laudo. Sed, mi Myli, quàm deforme est hominè
 validis sensibus, integris membris astare, quasi ma-
 nus ipsi præcisæ sint, & pati vt ab alio panis sibi in os
 digitis primoribus imponatur, quem panem ipse ac-
 cipere possit & ori admouere. Ambrosij certè tem-
 pore manus extendebant, & iis sanctissimum Do-
 mini corpus prehendebant.

Alterum quod addis de buccella panis vino mace-
 rata & deglutita profanitatem redolet, à quocunq;
 sanè profectum. Miror autorem à te non nomina-
 tum, & propemodum in hanc sententiam discedo, vt
 credam ex Augustana historia hoc esse desumptum.

Epitafin claudit mentione professoris cuiusdam
 Lipsensis, qui procul dubio ex verbo Dei didicerat
 Christi corpus cerni & tangi posse, & semper in ter-
 ris extitisse tale, quod cerni & tangi posset, & iam
 etiam in gloria cælesti veritatem corporis retinere:
 Quia igitur vos contenditis tale corpus latere in pa-
 ne vel coniungi cum pane, vel adesse pani & cum pa-

ne ore sumi, non immeritò postulauit sibi illud demonstrari. Neq; enim omnes tam acuti & fidei pleni sunt, atq; tu & Hūnius, qui creditis, vel potius fingitis vos ore, modo tamen inexplicabili percipere quod neq; sentitis, neq; videtis, neque gustu deprehenditis. O mirificos Theologos, qui non contenti decessisse Misnenses, etiam Silesios, vt fama est, aggrediuntur, & senes optimos, quorum opera fidei Ecclesiæ per 30 & plures annos vsæ fuerunt, remouent.

In Catastrophe de Electore Christiano quæ addit, eiusdem monetæ sunt cum Augustanis historiis. Quam verè scribas. *Electorem Christianum serò tandem animaduertisse sibi impositum esse, & sanguine q. deplorassee,* propediem intelliges ex concionibus, vt spero, Salmuthi, quas facile tibi erit mendacij arguere, & facilius fortè quàm narrationem turris Lipsensis. De studioso, *qui stercore conspurcarit rhythmos germanicos cuiusdam adibus ascriptos,* nescio quid dicam. Familiari cuidam meo visi illi blasphemii. Hominis enim Lutheri doctrinam cum diuina copulari, & eodem loco haberi vtramq; impium esse aiebat. De morte adolescentis quæ addis, multi affirmant à te esse conficta, & quidem ij, qui tum V Vitebergæ vixerunt, nihil tale commemorant consecutum. Neq; enim potuisse celari, si accidisset, imo iidem non vnum fuisse aiunt facti illius autorem, sed complures. Sed ponatur adolescentem facto illo doluisse & mœrore animi extinctum. Inde, vt ego arbitror, apparuit hoc ipsum, quod admisit ex iuuenili impetu potius, quàm constanti iudicio esse profectum.

Post obitum Illustriss. Electoris Christiani metu percussos fuisse dicit Calvinianos & trepidasse nec sanè immeritò.

Noue-

Nouerant enim ingenia Flacianica: quorum immanitatem satis superq; experti sunt & prædicabunt ad omnem posteritatem ij, quos vestris manibus principum clementia eripuit. Etiam mentionem facit Rennecheri, quem qui norunt magis Mylium rident hæc scribentem, quàm illum fugisse mirantur.

Coronida impudentiæ addit cum scribit, *ne unum quidem Torgæ in Comitibus repertum fuisse Calvinistam, qui confessionem edere ausus fuerit.* Cur, Myli, tum non aduocabas Salmuthum, cur non Pierium, cur non alios? Cur nobilitatis orthodoxæ monitiones grauissimæ nullum apud vos locum habebant? Quis Confessionem ederet non rogatus? Ne quid autem Comœdiæ lepidæ desit, Halonis fabulam ab assentatoribus confictam denuo inculcat, cuius allegoriam omitto ab aliis eruditè explicatam.

Cæterum quod Calvinianos exagitent & insectentur homines tui similes, id illis commune est cum filio Dei, cum Prophetis, cum Apostolis, cum martyribus. Tacitus scribit Christianos olim q. per flagitia inuisos quæsitissimis pœnis à Nerone affectos. Idem fidem Christianam exitialem superstitionem vocat, & addit magis odium generis humani illis nocuisse, quàm crimina. Pereuntibus addita fuisse ludibria, vt ferarum tergis contentilaniatu canum interirent aut crucibus affixi aut flammam, atque vbi defecisset dies, in vsum nocturni luminis vrerentur. Perfrica frontem, Myli, & conclude ex probris illis & suppliciis immani-

D

bus religionem Christianam tum fuisse falsam & Deo displicuisse. Verum enim vero in illorum societate Calviniani malunt esse, quam vobiscum florere & desipere ac Idola fulcire, quorum te baiulum robustum utinam Augusta retinisset.

Al. Be. VV. M.


F I N I S.





Epigramma ad lectorem.

VIN scire lector, quam Tragœdiam egerit
(Molitore quodam iudice in Duringia)
Caluiniana, dicta secta, in Misnia,
Nec ad Catastrophem tamen perduxerit?
Audi: tribus verbis negotium eloquat.
Satanis adiurationem, ut impiam
Appendicem baptismatis templis sacris
Arcere sunt ausi: nefas hoc principem
Locum tenet: Secundum ab illo Corporis
Damnata manducatio, quorumlibet
Qua fiat ore: tertium sacerruma:
Ubiquitatis ritè facta explosio.
Hec prater & contra Dei verbum: modò
Reducta monstra si exularent Misnia,
De Ecclesiis actura foret: Sophos voco
Abdera quem mirata quemq; Ephesus fuit,
Cachinnum ut alter edat, alter lugeat.



Epigramma ad lectorem

19. 70/10 64

Vin fere k for, quam Tiberis...
Et Rhodanus...
Calmis...
Et ad...
Tibi: tibi...
Zet...
App...
A...
L...
D...
Q...
P...
H...
R...
D...
A...
C...

M








B.I.G.

Farbkarte #13



EPOPSIS SY-
nopseos Mylianæ de
Comœdia Misnica

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

HEIDELBERGÆ,
ANNO
c1o. 1o. xciii.

Vg
7010

11,874

